

S. Scripturam unicam & optimam regulam, infallibilemque normam esse; secundum quam omnis interpretatio dirigenda sit. Nobis autem tam hanc, quam illam sententias ob rationes infra recensendas, improbantibus, novam, eamque paradoxam adstruere, impræsentiarum est animus, scilicet hoc munus veræ competere Philosophiæ, hancque esse normam certam, ac minimè fallacem, tam sacros Libros explicandi, quam illorum explicationes explorandi. Atque hęc sensu Exercitationis nostræ Titulum intellectum volumus; quò etiam ab Evangelicis Theologis Scriptura & sui ipsius interpres, & controversiarum Theologicarum iudex perhibetur, hoc est, interpretandi ac judicandi norma ac regula.

2. *Philosophiæ* autem, de quâ nobis hic sermo est (ut etiam quædam de Controversiæ nostræ subjectò prælibare aggrediamur, prædicatum enim jam satis superque nobis excussisse videmur) *Philosophiæ*, inquam, *nomenclaturâ intelligimus*, non Divini Platonis, non magni Aristotelis aut aliorum quorumvis eò nomine in lucem editas de rerum naturâ opiniones, ac conjecturas: sed illarum *veram ac indubitatò certam notitiam, quam Ratio, ab omni præjudiciorum involucrò libera, naturalique intellectus lumine, & acumine suffulta, ac studiò, sedulitate, exercitatione, experimentis, rerumque usu exculta atque adjuta, - ex immotis ac per se cognitis principiis per legitimas consequentias, apodicticasque demonstrationes, clarè ac distinctè perceptas, eruit, ac incertissimâ veritatis luce collocat.*

3. Hanc autem Deo Opt. Max. luminum patri, sapientiæ fonti suam debere originem nulli non notum: Quandoquidem *totum munus bonum, & totum perfectum donum est supernè descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, aut conversionis umbra, ut habet divus Jacobus in Epist. cap. 1. vers. 17. Et Deus dat sapientiam sapientibus, & scientiam scitis & intelligentibus. Daniel 2. v. 21. Et Jekova dat sapientiam, ex ore ejus scientia & intelligentia procedit. Proverb. 2. vers. 6. Quod idem etiam facilè colligitur ex 2 Chron. cap. 1. vers. 12. Et omnis sapientia à Dominò, atque apud ipsum est in seculum. Eccles. 1. Nec solùm apud sacros, sed etiam profanos, & quidem Ethnicos scriptores non obscura hujus rei inveniuntur testimonia. Sic Plato in Timæò ait, nullum unquam à Deò munus, Philosophiâ præstabilius, mortalibus collatum, aut deinceps conferendum esse. Et Lucretius, Memmium de Sapientiâ alloquens, librum suum 5 de Rerum naturâ in hunc modum exorditur.*

*Quis potis est dignum pollenti pectore carmen  
Condere, pro rerum majestate, hisque repertis?  
Quisve valet verbis tantum, queis pingere laudes  
Pro meritis ejus possit, qui talia nobis  
Pectore parta suo, quæ sitaque præmia liquit?*

*Nemo,*